

9270
1783, 24.
CAROLVS GODOFREDVS
DE WINCKLER

FACVLTATIS IVRIDICAE
ORDINARIVS

NVNC

PROCANCELLARIVS

SOLENNIA INAUGVRALIA

VIRI AMPLISSIMI

IOHANNIS GOTTLIEB ZSCHASCHLERI

ELECTORI SAX. A CONSILIIIS AC IN SENATV
PROVOCATIONVM PRIMI SECRETARII

IN DIEM III. IVLII A. MDCCCLXXXIII.

INDICIT.

IN EST

Corollarium iuris criminalis duodecimum et decimum tertium.

CAROLVS GODFREDVS

DE WINCKLER

FACULTATIS IURIDICAE

ORDINARIVS

PRO CANCELLARIVS

SOLENNIA INAUGVRALIA

VIRI AUREISSIMI

IOHANNIS GOTTLIBI ZSCHASCHLERS

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI

IN DIEBUS IULII A. CIRCOCXXXIII

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI

IN DIEBUS IULII A. CIRCOCXXXIII

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI

IN DIEBUS IULII A. CIRCOCXXXIII

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI

IN DIEBUS IULII A. CIRCOCXXXIII

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI

IN DIEBUS IULII A. CIRCOCXXXIII

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI

IN DIEBUS IULII A. CIRCOCXXXIII

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI

IN DIEBUS IULII A. CIRCOCXXXIII

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI

IN DIEBUS IULII A. CIRCOCXXXIII

IN DIEBUS A. CONSILII HESSE GENUERATVS

PROVINCIAE THIRI SECRETARI



COROLLARIUM DVODECIMVM.

De remissione raptorum et furum fugientium.

Praeter eam delinquentium remissionem, in sola Lusatia superiori vsitatam, de qua corollario proxime superiori, et illam, in terris Saxoniae Electoralis ad iura praefecturarum Saxonicarum pertinentem, de qua corollario II. a. 1770. diximus, est adhuc alia quaedam remissionis necessitas, non minus terris Saxoniae Electoralis propria, scilicet latronum ac raptorum vel furum violentorum, captorum in fuga, de qua re Edicto regio d. 14. Dec. 1753. contra hanc pestem generis humani promulgato, cautum. Scilicet quando eiusmodi facinorosorum hominum colluies vel in via publica peregrinantes adoriatur, vel in ciuitatibus et pagis, ipsas ingressi aedes, aliena bona, vi ac impetu, saepe etiam additis plagis mortisque minis, seu ipsa morte, rapiant furenturque, mox autem fuga sibi consulant, sapienter constitutum est a legislatore, Friderico Augusto, vt ad persecutionem horum, vniuerso generi humano perniciosorum hominum, omnes quiqui possint, inprimis vero, praeter militiae cohortes, vicinorum locorum incolae, conuocati clamore et campanarum sonitu concurrant et adprehendendos eos communi studio allaborent. Reuocauit igitur in vsum augustissimus legislator antiqui Iuris Saxonici similem consuetudinem, quam Auctor

speculi Saxonici *L. II. art. 71.* refert: Nam in quouis delicto manifesto, *in handhafter that*, quando deprehensus fuga sibi confuleret, laesus publico clamore eum persequeretur, quod hunc effectum habebat, ut si delinquens in oppidum, pagum vel arcem alius iurisdictionis se recepisset, huius iudex de ea re postulatus, ipsique de crimine manifesto facta fide, reum sub poena proscriptionis remittere deberet. Hodie vero id tantum in crimine violenti furti et rapinae locum habet. Hos igitur qui persequuntur, si eum diligentiae et laboris fructum tulerint, ut fugientes in aliena iurisdictione capiantur, debet iudex deprehensionis, ne praefectis quidem exceptis, eos ad locum commissi facinoris, unde persecutio coepta, remittere, sine dubio ea de causa, ut de ipsis in conspectu eorum, quibus facinore suo damnum dederant, ad eos consolandum atque ad terrendos e contrario similis malitiae socios, vindicta sumatur, quod non leuem vim habere semper putatum est, unde iam in Edicto an. 1719. aduersus eiusmodi improbos dato, sancitum reperitur: *daß diese strafe auch an der landstrasse der stadt oder dorfs, wo die that geschehen, exequiret werde.* Variâ tamen circa hanc remissionem hic notanda sunt. *Primo* hoc de rapina tantum et latrocinio, furtoque violento intelligendum, non etiam de furto simplici, quippe de quo illud Edictum omnino silet, quapropter quae in eo continentur, in simplex furtum plane non conveniunt; *cf.* FERD. AVG. HOMMELII *diff. de furto qualificato* §. 21. Nam est lex recedens a iure communi, adeoque ultra verba

verba non dilatanda, l. 32. §. 3. C. de appell. CARPZ. P. II. c. 1. def. 15. n. 10. Deinde debet latro in ipsa fuga capi, persecutione ipsum perpetratum facinus confestim insecuta, quod indicat dicti Mandati regii integer locus §. 2. praecipue verbis: *die auf der flucht ertappten diebe und räuber*. Distinguedum igitur est inter persecutionem certorum furum vel raptorum statim peracto crimine factam, ac illas visitationes et peruestigationes generaliores, quas cum magistratus civiles, assumtis militibus et venatoribus, tum milites ipsi eodem edito §. 1. et aliis praecedentibus, imprimis sub dato d. 16. Sept. 1710. d. 21. Dec. 1711. d. 14. Dec. 1717. et d. 17. Jul. 1719. subinde et quotannis repetita vice ad conquiendos fures et raptos instituire iubentur. In his enim si eiusmodi facinorosi homines capiantur, secundum allegatas leges iudici, in cuius iurisdictione deprehenduntur, ad inquirendum contra eos tradendi sunt. In illorum vero, de quibus antea diximus, reorum post perpetratum delictum fugientium persecutione *tertio* perinde esse videtur, vtrum ea persecutio a iudice, in cuius foro commissum est, ipsa assumpta manu, convocatisque iurisdictionis suae superioris subditis, *der Gerichtsfolge*, vel per litteras patentes ad vicinos missas, *durch Steckbriefe* fiat, modo statim absque mora suscipiatur. Quarto ad hanc remissionem opus est, vt iudex delicti, simulac de facta deprehensione compererit, iudicem capientem de remittendo reo roget, per verba dicti Mandati: *nach beschehen anmelden in loco apprehensionis*; vnde cogi

non potest, vt sua sponte offerat remissionem, quamuis, cum ista imploratio absque praeuia scientia fieri nequeat, officii eius esse videatur, iudici criminis significare, raptorem vel furem in fuga esse a se captum, vt respondeat litteris illis patentibus publicaeque omnium iudicum requisitioni. Qui delicti iudex, si remissionem postulet, *quinto* litteras de mutuo data occasione officio praestando, dare debet. *dict. mand. §. 2.* In hac igitur re illud diserte praescribitur, quod, ex legis defectu, cessare nobis visum est in remissione delinquentium ad praefecturas, *v. dict. coroll. II.* habetque vt facile patet, eadem litterarum reuersalium oblatio eam vim, vt, si sequenti tempore casus reciprocos eueniat, is, qui iam ex lege remittere debeat, tunc ab altero ex promissionis fide idem postulare possit. *BRVNEM. Inqu. Proc. c. 3. §. 7.* Quod autem *sexto* ad expensas attinet, cum in saepe dicto Mandato non mentio aliarum fiat, quam quae in custodiendum alendumque reum impensae sint, *der sitz- und atzungs-kosten*, non dubito, iudicem prehensionis nec plures exigere posse, adeoque sportularum iudicialium solutionem frustra perere, potius contentum esse debere praemio rectae conscientiae de lato securitati publicae auxilio.

De reliquo cum in his, quae hucusque tradita sunt, assumerimus, delinquentes perpetrato iam furto violento, vel rapinae aut latrocinii crimine, fugam cepisse, quaeri possit, an et idem tum, si solummodo tentauerint eiusmodi facinus, impediti a consummatione, locum habeat? Quod non dubitamus

tamus

tamus affirmare, cum ob causam legis supra allatam generalio-
rem, tum ob verba ipsa sub initium §. 2. *diebereyen und ein-
brüche unternehmen.* Etenim quamvis inter delictum ipsum
vel perpetratum vel solummodo attentatum magna sit diffe-
rentia, tamen hic non de modo poenae, verum de securitate
publica agitur, quam nec minus illi grassatores quam maxime
laedunt, etiamsi ab ipsa consummatione, saepeque ab ipsa nece
dominorum, horum vel fortuna vel diligentia, rapinis furtis-
que iam coeptis, ac tentatis, arceantur; vnde et hi, quando
in fuga et persecutione a quocunque capiantur, ad iudicem
perpetrati delicti, qui persequi ceperat, remittendi sunt.

COROLLARIUM DECIMUM TERTIUM

SUPPLEMENTUM TERTII.

Cum ante hos vndecim annos, simili temporis opportuni-
tate, de ea iuris criminalis ancipiti haecenus quaestione:
*stiprum simplex ad superiorem inferioremue iurisdictionem per-
tineat?* ageremus, dicebamus inter reliqua, fere omnia in-
primis in Saxonia Electorali dicasteria in hac opinione esse,
vt ad inferiorem referant, at vero in his terris supremum Re-
gimen plerumque superiori iurisdictioni quidem annume-
rassè, esse tamen aliquando Eidem rem dubiam visam, eaque
ipsa de causa diu spem fuissè, hanc litem lege sopiri. Ea lex
igitur,

igitur, iam anno 1726. coepta, sed anno 1735. ob prae-
 viam maioris deliberationis necessitatem suspensa, nunc
 demum ante duos annos perlata est. Per haec cum
 aliqua huius iuris mutatio inducta fuerit, hanc supplere,
 officii nostri putamus, postquam prius ea, quae ibidem de con-
 spiratione in hac re ius dicentium proposueramus, confirma-
 verimus. Etenim postquam illa tunc scripseramus, comperi-
 mus, Scabinatum Lipsiensi antiquitus non aliam, quam sequenti
 tempore opinionem sedisse, dum iam initio anni 1693.
 Regimini Zizeni responderent, stupri simplicis cognitionem
 inferiori iurisdictioni subesse, tracto in partes suas tum BER-
 LICHIO, quem et nos ante nominavimus, tum HEIGERO *quaest.*
crim. P. II. qu. II. no. 21. Similiter iudicantur mense No-
 vembri 1709. a praefecto Dresdensi interrogati. Ab hoc tem-
 pore dici non potest, quantum agitata haec sit quaestio in Sa-
 xonia. Eius rei memorabile exemplum habemus anno 1753.
 apud ipsum Senatum, coram quo prouocatione certatur.
 Erat contentio inter possessorem praedii Niemeck cum prae-
 fecto Bitterfeldensi, quorum ille non nisi bassa iurisdictione
 ornatus, stupri cognitionem, quamvis matrimonio non se-
 cuto, tanquam partem illius sibi vindicare cupiebat, praefecto
 contra vindicante. Nam, quando stuprator et stuprata ma-
 trimonium iungerent, non erat tunc dubitatio, hos ab inferiori
 iudice iudicari, ob leuem, quae propter illius quasi sanctitatem
 remaneret, poenam. Ac forte sunt, qui et hodie ob hoc ipsum
 coercitionis maioris minorisue discrimen aliquam aequitatem
 in eo,

in eo videre videantur, CARPZOVIVM imitati, si stuprum, secuto matrimonio, inferiori, non secuto, superiori iurisdictioni annumerandum, et ita hos fines regundos putent, quia scilicet omnis poena, quae non infra tres solidos, (argenteos, non aureos) *drey schillinge* siue *drey schillingspfemige* sit, verum eos attingat, ex Ordinationibus prouincialibus de anno 1550. et 1555. *tit. was zu den ober- und erbgerichten gehörig*, altae iurisdictioni subfit. Solidus vero aequat XVI. simplices denarios, *pfemige*, CARPZ. P. II. c. 12. *def. 12. no. 1. et c. 27. def. 5. no. 8.* Cum itaque eiusmodi trium solidorum furtum hodie soleat vix XII. dierum carcere puniri, HOMMEL *Flav. allgem. Reg. §. 52.* habes eo ipso poenam quasi intermediam inter stupri simplicis coercionem, quod benedictio matrimonialis vel sequitur, vel non sequitur, quaeque dirimere possit vtrumque, ac alterum, nempe XIV dierum carcere puniendum, ad superiorem, alterum vero, nonnisi trium vel quatuor dierum detentione coercendum, ad inferiorem iurisdictionem referre. Sed redeamus in viam.

Lis illa super iurisdictione inter A. et praefectum deferbatur ad Senatam Electoralem, coram quo prouocatione certari solet, qui primum praedii possessori probationem iniungebat, eaque gesta secundum eum pronuntiabat, si prius in supplementum iurasset, se cum parentibus suis per triginta annos et diem in praescripta possessione fuisse, de causis stupri, in villa Niemeck euenientis, siue delinquentes post matrimonio se iungerent, vel minus, coram iudicio suo cognoscendi;

scendi; non quasi et haec prior species tunc temporis aliquam dubitationem habuisset, verum ut res litigiosa per sententiam eo melius ac certius definiretur. Hanc igitur coram dicto Senatu latam aegre tulit, non tam supra memoratum Electoris Saxoniae Regimen, quam Camera, quae incitata ab aduocato fisci, conqueſta est anno 1754. coram Sanctiori Consilio, allegans non solum illam, a nobismet olim expositam, coram supremis Iudiciis Saxonis receptam sententiam, verum etiam hoc: ita videri sufficere praescriptionem ordinariam aduersus regalia principis, non quadragenariam cum quadriennio postulari. At Senatus defendit causam suam aduersus cameram, dicendo, ICTos Saxoniae variare de competentia iudicis circa causam stupri, quorum plerique eandem iurisdictioni bassae, non altae subdent, ac neque praescriptionem quadraginta annorum in omnibus regalibus desiderari, neque hic de acquirendo iure aliquo regali agi, verum de eo, quinam inter duos iudices, quorum uterque iurisdictione aliqua esset praeditus a principe, istius cognitionis ius per temporis praescriptionem sit tuitus. In quo animaduertendum, quod Senatus prouocationum tunc opinionem Vitebergensium, quae reperitur apud WERNHERVM P. IV. obs. 5. no. 73. amplexus sit, quae tamen successu temporis ut in omnibus foris, sic et in illo necessitati immemorialis praescriptionis aduersus principem omnino cessit.

At haec quomodocunque sint, videtur tamen certissime ab isto tempore Serenissimus Elector Saxonicus de hac lite

componenda ferio cogitasse, quamuis nonnisi ante hos duos annos perfecit, nam vsque ad hoc tempus dicasteria receptam de adscribendo supro iurisdictioni altae opinionem, imprimis vero Scabini Lipsienses seruarant. Quodcum adhuc anno 1777. factum esset, id tandem nouam legem, aut potius nouam dicasterii normam peperit. Ecce enim d. 25. Iun. 1781. Serenissimus Elector nostro Ordini ita rescripsit: *Wir haben aus einem bey dem schöppenstuble zu Leipzig wegen der denen gerichtten zu S. von den B. gerichtten zu T. bey gelegenheit des von E. W. zu R. begangenen stupri streitig gemachten cognition in dergleichen schwängerungsfachen am 1. Nov. 1777. abgefassen urtheil ersehen, wasmassen ersagter schöppenstubl die untersuchung obiger, wegen stupri simplicis gerügter sache als vor die erbgerichte gehörig, denen gerichtten zu T. zugesprochen. Nachdem aber die cognition und bestrafung in causa stupri simplicis, wenn gleich die personen, so das verbrechen begangen, einander nachgehends eheligen, mithin die strafe vermindert wird, vor die obergerichte geböret etc.* Videmus itaque, nunc omnem omnino cognitionem stupri, etiam eam, in qua post coniunctionem corporum etiam sacerdotalis copulatio sequitur, inferiori iurisdictioni exemptam, et superiori addictam esse; quod omnino rationem habet. Stuprum enim semel commissum, manet stuprum, quicquid postea fiat, vnde quando summus legislator hoc criminis genus semel ad altam iurisdictionem perti-

nere voluit, consonum est, idem ibidem perpetuo manere, cum per futurum connubium non ipsum antea perpetratum delictum mutetur, sed sola poena mitigetur, omnia vero criminalia, quorum cognitionem ac inuestigationem iudex superior criminalis suscepit, ab hoc ad inferiorem nunquam redeant, etiamsi poena ordinaria ex aliqua superueniente causa, v. g. ex diuturnitate carceris vel alia, vsque ad adeo leuem descenderet, quam alias iudex inferior dictare posset. Accedit, quod e contrario quodammodo absconum videri possit, in solo peccantium arbitrio ponere, velintne a superiore vel inferiori iudice iudicari, quod futurum foret, si subsequens copula sacerdotalis forum mutaret.

Sed commonet nos Vir Amplissimus IOANNES GOTTLIEB ZSCHASCHLER, vt eius solennia inauguralia indicemus. Antequam vero id fiat, audiamus eum ipsum de vita sua sic differentem :

Ego, Ioannes Gottlieb Zschaschler, natus sum Dresdae d. XXI. Iul. A. R. S. MDCCXI. patre GODOFREDO, quondam Potent. Poloniae Regis et Seren. Saxoniae Electoris ad consociendum in aedificia militaria, quae in Noua florent Vrbe, suppeditandorum sumtuum conspectum, eorumque pariter ac murimentorum exstructionis curam, nec non de hisce omnibus reddendas rationes obstricto, vt cum Germanis loquar: Schanz- und Vestungs- Bauschreiber, quem elapso primo aetatis meae et quod excurrit lustro, morte mihi ereptum quam maxime lugeo, et matre MARIA SIBYLLA, ex gente Toepferiana, quam senem adhuc viuentem, egregio complector amore. Tutor quidem mihi datus,
vt

ut a teneris annis religionis aequae ac honorarum artium fideliter imbueret praeceptis, haud exigua, sed Ioannes Fridericus Angermann, nunc Serenissimi Saxoniae Electoris Architectorum militarium tesserarius, Ingenieur-Major, maximam et tantam nauavit operam, ut eum non possim non summis efferre laudibus, simul pro innumeris, et inter reliqua etiam me tironem erudiendo, collatis beneficiis, et pro insigni quam adhuc mihi largitur, beneuolentia et dilectione, publice gratissimam testans mentem. Eo moderante primum a PEUCKERTO, iam Islebense Cantore, qui ob germanam fidem, et magnam in me collocatam industriam principem priuatos inter magistros meretur locum, cum religionis praeceptis, tum aliis doctrinis instructus, anno MDCCCL. ad scholam, quae in Noua viget Vrbe, patriam, anno MDCCCLVI. in Lyceum, quod nomine ad St. Crucem venit, ablegatus sum, ibique pie defunctorum Grabneri, Grahii, Kretzschmari et Kochleri, nec non Begneri, interfui praelectionibus. Anno MDCCCLXII me contuli Lipsiam, ibi fauces gerente Academiae Belio, albo insertus et litteratorum adscriptus sum ciuium numero. In qua alma cursum philosophicum me docuit Wincklerus, paulo post discessum meum defunctus vita. A Breuningio, cuius, nunc etiam viuis erepti, memoriam non satis grata venerari valeo mente, Ius naturae et gentium, iuris Romani historiam, Institutiones, Pandectas, Ius Germanicum, canonicum, criminale, cambiale, Protestantium ecclesiasticum, Logicam iuridicam, Politiam, principia processus vna cum elaboratorio percepi, eiusque examinatio repetitis frequentavi semestribus. Pie defunctus Frankius mihi ius publicum S. R. I. atque ius feudale tradidit, et notitiam historiae Saxonicae. Beatae memoriae Gellertum morum doctrinam summa cum voluptate audiui publice explicantem. Iuris Romani Illustris Wiesand, cuius iam Wittebergae publicos inter Professores celebratur

fama, legi mihi repetitionem. Eiusque in arte disputandi, sicuti in relatoria beati Zolleri, usus sum institutione. Peracto tandem Lipsiae triennio, Praeside iamiam laudato Breuningio publice: de iniuria per veritatem illata, d. VIII. Iun. anni MDCCCLXX. defendi disputationem, et postea, ut vulgo dicitur, pro praxi subii examen. In urbem redux patriam Summo a Regimine d. IX. Sept. dicti anni MDCCCLXX. ad exercendam admissus praxin iuridicam, ab eo tempore ad finem usque anni praeteriti in foro oravi causas, simulque ab anno MDCCCLXX. in variis administravi terris Nobilium iurisdictionem, ad quae omnia suscipienda riteque peragenda Illustris Godofredus Sigmundus Seyffried, qui iam Serenissimo Saxoniae Electori Principi nostro indulgentissimo a Consiliis Prouocationum est, humanitate, beneuolentia et consilio per quatuor annos me adiuuit, ut haec Viri Summi beneficia apud me nunquam sint intermoritura. Nouissime vero Indulgentissimus et Clementissimus Princeps noster FRIDERICVS AVGVSTVS d. XIV. Dec. anni MDCCCLXXXII. Consiliarium et Summi Prouocationum Senatus me creauit primum Secretarium, quam a die XXIX. mensis Ianuar. huius anni tueor dignitatem. Quae cum me summos iubeat in utroque iure capeßere honores, ego Illustris de his conferendis decentissime nuper adii Ictorum Ordinem.

Hic igitur, ornatus iam a Serenissimo Principe munere haud leuidensi, voluit etiam a nobis Doctoris honoribus augeri, in quam rem nos adiit, et quemadmodum examinis superioris cum laude superati reminiscebamur, sic et vtrumque, quod nunc necessarium erat, tanta cum dignitate sustinuit, ut summi in iure honores communi consensu et applausu ipsi decernerentur. Status huic solennitati est dies proximus Iouis.

vis. Postquam enim publice in auditorio nostro pridie hora pomeridiana II. Legem tertiam C. de collation. breuiter interpretatus fuerit, ac ipso die inaugurali dissertationem, qua vis pactorum hereditatibus renunciantium, quoad heredes remotiores exponitur, sub praesidio Viri Summe Reuerendi ac Illustris HENR. GODOF. BAVERI, mihi amicissimi ac in nostro Ordine Senioris, defenderit, hic ipse, in quem ego, rite constitutus Procancellarius, Promotoris partes contuli, istum Iuris Vtriusque Doctorem more maiorum creabit, ac omnia huius tituli priuilegia, sola spe quondam in Ordine nostro assidendi excepta, ipsi tribuet.

Huic solennitati UT RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, CELSISSIMI PRINCIPES, ILLUSTRISSIMI COMITES, VTRIVSQUE REIPUBLICAE PROCERES, ATQVE GENEROSISSIMI, PRAENOBILISSIMIQUE ACADEMIAE CIVES frequentes interfint, et Ordinis nostri et meo et Candidati nomine omni contentione rogo. Scrib. Domin. II. post Fest. Trinit. anno CXCIOCLXXXIII.



Die Universität zu Halle
 hat durch ihre Fakultät
 die Ehre zu erlangen
 dass Herr Doctor
 Johann Friedrich
 Schlegel
 zum Professor
 der Philosophie
 ernannt worden
 ist.



ULB Halle
002 802 503

3




Sb.

vd B-







9270

1783, 24.

CAROLVS GODOFREDVS
DE WINCKLER

FACVLTATIS IVRIDICAE
ORDINARIVS

NVNC

PROCANCELLARIVS

SOLENNIA INAUGVRALIA

VIRI AMPLISSIMI

IOHANNIS GOTTLIEB ZSCHASHLERI

ELECTORI SAX. A CONSILIIIS AC IN SENATV
PROVOCATIONVM PRIMI SECRETARII

IN DIEM III. IVLII A. MDCCCLXXXIII.

I N D I C I T.

IN EST

Corollarium iuris criminalis duodecimum et decimum tertium.